ORATIO

PRO

SOLEMNI STUDIORUM INAUGURATIONE

HABITA

IN

ARCHIGYMNASIO NEAPOLITANO

A

NICOLAO ROSSI

ANTIQUITATUM LATINARUM, ET MYTHOLOGIAE

ANTECESSORE

V. KAL. DEC. A. D. MDCCCXVIII.

De quadam abnormitate in universas disciplinas,
hac praesertim aetate invecta,
mature corrigenda.

NEAPOLI MDCCCXVIII.

TYPIS JOANNIS DE BONIS

Superiorum permissu.

Quod diu in votis fuit, et quod precatus sum a Deo O. M., ut, antequam praecipiti in senium aetate conticescerem, eadem iterum ex hoc loco dicendi occasio proponeretur, atque multis abhinc annis, Archigymnasio hoc nostro in Olivetanam sedem translato, primo mihi oblata est: id longa ab expectatione, hodierna tandem die consecutus, gratiis Largitori summo pro eo peractis, tanta sentio animi voluptate perfundi, ut in ipso orationis introitu, quo vel grandia ingenia commoveri solent, in tanta loci dignitate, in excellentissimi Praesulis conspectu, in tam frequenti doctissimorum virorum consessu, in eo conventu florentissimae Juventutis, in maximo denique periculo meae existimationis minime reformidem. Detur haec venia si minus homini tot annos in litteris versato, certe senectuti, quae, quum in anteacta vita suis honeste laboribus perfuncta sit, emancipatur nemini, se ipsa defendit, ac nescio quam facultatem servat ad extremum. Itaque mirari nemo vestrum debeat, me non ita modo praesenti animo ad dicendum, quasi ea non

senserim, ascendisse: sed, quum multa mihi pro solemni studiorum inauguratione ex hoc loco tractanda objicerentur in omni litterarum genere aeque probatissima, illud prae ceteris ultro suscepisse, quod et me in maximas difficultates sua tractatione conjiceret, et tantum abesset, ut vestros in me animos conciliaret in praesens, ut invidiae nonnihil conciret. Cui enim audacissimus non videar, qui, quum unquam alias vehementius, quam hoc tempore et artes excolantur, et studia inflammentur, et monumenta a sapientissimis Immortalitati passim erigantur, et ingenia, quavis proposita spe, ignescant, litterae denique ipsae ad ultimas usque terras propagatae de sua felicitate sibi gratulentur: ego tamen interea in ipsam saeculi lucem oculorum aciem suo fulgore perstringentem, adstantibus, ac deliberantibus iis ipsis, qui ad illius dignitatem tuendam promovendamque operam, laborem, studium, industriam bona ex parte contulerunt, confidentissimus adsurgam? Piaculum sane foret, nihilque audacius incoepto. Neque enim is sum, qui majus aliquod, quod fieri non posse sentio, polliceri ausim; vel insignem coronam hac nostra Ætate ingenti labore partam, capiti, ut ita dicam, suo detrahendam putem: sed, ut in publicis rebus, minimis persaepe momentis maximae temporum

inclinationes fiunt; sic et in Litteris, nisi quibusdam levibus propere occurratur incommodis, nihil aeque pertimescendum existimo. Quamvis enim non negaverim litteras, quaecumque eae sint, omnes, quo versus inspexeris, eo nunc aetatis stare, quo nunquam antea gradu videntur stetisse: fatendum tamen feracitate aliqua, nimioque ingeniorum aestu per omnia inveniri abnorme quoddam, et immodicum, quod in universas late doctrinas impune, diuque serpit, atque illabitur. Igitur quemadmodum, laxatis doctrinae finibus, fere omnes universi orbis gentes, meis verbis huic Ætati ingentes agunt, quod per eius cultores florentes statim factae sunt: sic contra Scientiae, Litteraeque omnes, meo quoque ore apud vos queruntur aliqua enormia irrepsisse, quae, si progredi longius patiantur, in certam sui perniciem sunt eruptura. Leve quidem istud specie, sed, inspecta penitus re, maximi ad omnia momenti, reique litterarum publicae grave, atque incommodum. Quamobrem amputanda quamprimum ista abnormitas; disciplinae in viam reducendae: neque illae quidem per se sanctissimae, quae ceteroquin sunt quaedam humanae Rationis ad veritatem progressiones, certis usque aequabili tenore signatae vestigiis, sed plurimi ipsarum cultores, non quod ego industriae suae modum imponere coner,

sed ut ab immodesto, atque illiberali labore, si placet, contineantur. Quod quanti sit, oro quaesoque, Auditores, ut deliberatio vestra ad exitum orationis differatur.

Ea est humani Animi natura, ut Intellectu, ac Voluntate, duobus praecipuis a Conditore suo quasi conflata elementis, altera ad Bonum, parte vero altera ad Veritatem necessitate feratur. Est quidem capacitate propemodum infinita voluntas; rationis autem sane modici, circumscriptique fines. Sed tamen illa, quantavis maxima voluptate rapiatur, quandiu terris, corporique haeret animus, expleri nequaquam potest; haec vero hujusmodi est, ut sive ad infinita se vertat, sive veritates in profundo Naturae abstrusas, et quasi involutas aperire conetur, sive spe vana evecta multa simul complecti audeat, sive tandem in cognitione aliqua assequenda explicatu difficili diutius immoretur, tum vel maxime obtusas, ac pene perditas vires necesse persentiscat, deque sua ipsius imbecillitate fateatur. Accedunt his illa incommoda in rebus obscuritas; in sensu debilitas; in labore ingenita quaedam animi mollities; in voluntate mobilitas; in judicando infirmitas; in iis denique retinendis, quae percepta sunt, tam rara tenacitas, ne dicam, miserrima labes. Fit inde, ut vel animi ad veritatem improbi

conatus, tercentis Pyrithoi catenis non absimiles, irriti cadant, vel, si quando tandem assequatur, ea certe, de qua dixi, virium tenuitas, maximo impedimento est, quo ille minus, leni facilique lapsu illorsum avolet, ipsaque fruatur. Adde fidissimam illam Paracelsi in rebus medicis, Cartesii in opere mundano sociam, Musarum pedissequam, gloriae comitem; quae aestu se nutrit; grandia parit, ea tamen, ut, ubi in sanctissimos mentis recessus illapsa est, afflatu quodam suo omnia misceat, atque offundat, ut vera a fictis diudicari non posse videantur. Extat praeterea ambitiosa sui cujusque cupido cum rebus publicis, tum maxime litteris, quae respublica est, importunissima. Quanta ciet intus! quanta cupit animus! quanta fingit; et canit sibi! Ille divitias, ille honores, ille nomen novum, ille imperium in litteras; nemini cedit; ingenia infra se posita habet; studiorum vulgaria temnit; rara sectatur; utilia mediocribus relinquit; necessaria non agnoscit. Sed quum *tanto*, ut ait ille, *promissor hiatu*, universa praestare posse desperet, non doctus esse, sed videri, pro virili parte laborat. En causae, Auditores, quas ob res, dum veritati persaepe instamus jamjam prehensuri, pro fulgentissima ipsius luce, Ixioni similes, nubeculam levi luce suffusam amplexamur.

Si cui vero in hisce animi vulneribus curiose attrectandis multus ego fuisse videor, intelligat is non alia me caussa fecisse, praeter quam, ut per vos judicetis, quam facile sit, quum tot in insidiis intestini sedeant hostes, ingenia fervere, atque ab instituto cursu humanae Rationis, suisque vestigiis rite persequendis longe evagari. Enimvero haud ignoramus (ut unum prae ceteris insigne exemplum proponam) quanta doctrinarum divortia in illam scientiam sua nobilitate nulli secundam Spinozae, atque Hobesii errata intulerint. Hi longe alia a Bayleo commenti sunt, Bayleus a Leibnitio, Leibnitius a Clarchio, Clarchius a Malebranchio, Malebranchius a Lochio, Lochius a Stillingfleto, Stillingfletus a Judvorthio, Judvorthius a Cantio. Qui quidem postremi duo, quum iis haesissent salebris, unde pedem efferre pudor vetaret; faterique vererentur, esse aliquid extremum, quod ratione vinci non possit, opinamenta sua ambagibus verborum obstruxerunt. Utinam vero praeclarissimi hi viri, dispulsa leviter illa caligine a prioribus offusa, ad ipsam scientiam amplificandam, quae in caussis rerum detegendis versatur, sua studia unice intendissent, non illam sane, a longo tandem errore, quasi in portum receptam, sine multa laude consenescere videremus.

Quaeret fortasse quispiam, quid? Nonne illae

veterum Philosophorum familiae liberiores, quam nos, fuerunt, solutioresque, in disputando immodici, atque enormes? Quasi vero iidem sint et qui dissitissimas terras primi perruperunt, et qui postero tempore, itu redituque frequentarint: et qui inhospita maria pertentarunt, et qui postea ultro citroque commeatu traiecerint? At fuerint sane. Quid tum? Illi ne nobis comparandi sunt? Illi in tenebris; nos in luce: illi omni obstructo ad veritatem aditu; nos nullo non patefacto atque expedito: illi per avia, nec ante trita; nos per comperta, et cognita: illi nullo praeeunte exemplo; nos plurimis, et conspectissimis: illi nulla ope muniti; nos ad satietatem instructi: illi denique in tyrocinio Rationis; nos in auctoramento?

Sentio meam orationem huc usque libere provectam in quasdam difficultates, non ex inopinato tamen, sed consulto devenisse, easque profecto, ut declinare imprudentis, contra bene cauti sit confidentissime ingredi. Ut enim in pertinacissima tempestate, adversa furentibus ventis, experti gubernatoris est dexteritate maxima iis obsecundare, quoad eo, quo direxerat, aliquando perveniat: non aliter ego, quum animadvertissem huius saeculi laudes adeo esse coniunctas cum ea litterarum querela, humanitatis officiique plena, quam ab initio proposui, ut quo latius illae caresce-

rent, haec eo maiorem firmitatem esset habitura; usus sum ista ratione, ut vobis ad audiendum iucundissima, ita mihi ad dicendum peropportuna.

Sed unde exordiar? vel mea quid habet oratio, ubi tanquam in extremo consistat? qualis, et quanta saeculi obversatur species! Quae doctrinae! qui viri! quot inventa! quam laeta litterarum facies usquequaque renidet! Praetermitto illos viribus ingenii invictissimos, qui licet hanc aetatem (loquor de ea, qua nati, institutique sumus) primi reserarint; priore tamen floruerunt, nostra occubuerunt, Newtonum, Flamsteedium, Alleyum, Cassinium, De-Laireum, Varignonium, Hospitalium, Turnefortium, Boerahavium, Norisium, Blanchinium, Bossuetum, Fenelonium. At videte quam inaugurato auspicati sumus; et utrum a vestigiis tantorum virorum, nobis devexa saeculi aetate natis, deerrare unquam licuerit. Faxit vero Deus, ut hoc novum, quo aevo vivimus, et cujus jam quatuor lustra tacite effluxerunt, paribus auspiciis, si fieri potest, ordiatur. Ne cui vero videatur haec intemperantia artis esse, immodice praedicantis, percurrat mecum animo, quanta divinum illud inventum *Methodus fluxionum* a Simpsono, Mullero, Clerautio, Dalembertio acceperit! quanta *Æquationes* a Fontana, Riccatio, Lagrangeo! quanta *Cur-*

varum doctrina a Bernullio, atque Eulero! quam festino facilique pede *Analytica*, quae, vivente Newtono, lente ibant, nunc ad exitus solvenda procurrunt!

Quid vero tam insigne, tam singulare, nostraeque, quod maximum est, aetati proprium, quam Historiae Naturae studium? Vidimus Marsilium non rara modo eiectamenta maris pretio undique conquisita contemplantem, sed, patefacta nova sibi in profundo ad immortalitatem via, in ingenti aquarum sinu occulta scrutantem; Vallisnierium per ima vallium, perque montium viscera naturae miracula perlegentem; Reaumurium in insecta defixum; Bonnetum Naturae filium, lumine cassum Spallanzanio lampada tradentem; Buffonium, Linnaeum, proh quales viros! quorum alterum, quod humana commoda, supra quam fingi potest, inhiaverat, uti Socratem de se ferunt gloriari solitum, *mundanum civem* altera oratione appellasse memini; illum vero, quod fuit animo, rapiditate maxima per cuncta rerum meabili, primum, ne dicam, unicum Naturae Antistitem vocare ne dubitetis.

Quos vero in ceteris disciplinis ego nominem primos? Egregiosne vitae artifices Boerahavium, alterum Hippocratem, centesimo abhinc anno mortuum,

*

labentis medicinae statorem, in Leydensi liceo trigem ino honore cumulatum, Wansvietlienem tanti magistri scholae principem, Hallerum irritabilitatis doctorem, Morgagnium in anatomicis nullo minorem, Tissotum Italiae oraculum, Seraum, Cirillum, illum denique adhuc superstitem Collegii nostri florem, quem honoris gratia nomino Cotugnium? An in phisicis praecellentissimos Gravesandium, Muschembroechium, Voltam, Priestleyum? An in jure consultissimos Heineccium, Gravinam, Vinnium, Domatium? An in sacris longe antecessores Calmetum, Van-Espenium? An in Oeconomicis accuratissimos Du-Hamelium, Bertrandium, Nekerum? An memorem antiqua? Quam praeclara dicenti ultro occurrunt! et Montfauconii explicata Antiquitas, et immortales Gorii labores, et illa Passerii, Antiquitatis purissimi latices, Dyptici Consulares, Picturae Hetruscorum, Gemmae astriferae, Lucernae fictiles. Ac ne in aliena abeam; quis ignoret quanta penu mutili theatri deformes ruinae, duaeque Tabulae Heracleenses per Mazochium miraculo litterarum venerabilem illustratae, litteras locupletarint! quantaque eruditionis strue una Martorellii Theca ditarit!

Sed debebatur hoc humanae Rationi nunc celeri, nunc lento pede, pro temporum conditione; usque

tamen in maius eunti. At nova? Ne nova quidem nostrae aetati desunt. Praedicet illa prior litterarum rediviva aetas suos reparatores Petrarcham, Dantem, Boccatium. Praedicet altera suas fortunas, et, expugnato Byzantio, Graecorum reliquias Italo solo receptas, et faustissimos Typorum in Moguntina sede natales, et novo Orbe parto, novas quasi provincias litterarum ditioni adiectas. Praedicet tertia Ludovicum, Torquatum poetarum principes, Canum, Copernicum, Tychonem, Fallopium, Vesalium, Gesnerum. Praedicet illa, quae nostrae aetati praecessit, et Cleperum, qui, quos orbes, quaque lege planetae currerent, primus cognovit; et Galilaeum, qui, oculis nova luce munitis, caeli spatia metavit; et Halleyum, qui medium orbem astra sua occultatem mortalibus detexit; et Cartesium Newtono *Optica* praeparantem; et Neperum, qui Geometrae calculi salebras exhorrescenti compendia commostravit; et Baconem Scholam *Organo* suo purgantem; et Mabillonium, qui Barbariem nova arte ab interitu ad vitam revocavit; et Arveyum, qui, qua sanguis corde ad extrema mearet, et qua ab extremis ad suas scatebras rediret, prior invenit; et Newtonum, et Leibnitium, duos mortalium ceteros rationis imperio longe supergressos, qui, quum in philosophando oppositi discessissent, in il-

mechanicis rebus commoda attulerit! Quin videtur ipsa eruditorum natio hac aetate corfertissima, Graecis Romanisque veluti indignata constringi finibus, peregrinari, longeque in alias regiones suas opes transferre. Itaque nova arte Scoltius Ægyptia, Bayerus Phenicia, Georgius Tibetana, Claugerus Mexicana illustrarunt.

Qui si videntur in suis inventis paullo iis minores, qui aetate praecesserunt, fuisse, id neque illis ingenii robori, neque his tenuitati, sed naturae quodammodo necessitati tribuatis, ut maiora minoribus praecurrant. Quemadmodum enim, quae homini conservando in primis erant, primo inventa: quae vero ad vitae commoditatem melioremque conditionem pertinebant, ratione posterius excogitata sunt: et, ut in aedificiis erigendis, quae ad substruendum jaciuntur, pondere vincunt ea, quae ad aedificandum cumulari solent; sic in humanarum cognitionum inexuperabili mole attollenda videtur accidisse. Igitur nihil mirum, si illi rerum novarum gravitate praestiterint, nos copia; illa difficultate, nostra utilitate superarint.

Sed Litteras animos illustrare, rationem exercere, nova moliri non domorum angustiis, non scholae confiniis, non locorum, non urbium, non gentium, sed novis usque formis indutas per omnia vagari;

pum a primaeva dignitate degeneri, litterata quoque Romana maestas sensim in sterilitatem emarcuerit.

Quae igitur alia comparari tempora nostrae aetati possint? An ea, a quorum recordatione usque abhorret animus, tenebris luctuque sepulta? An ea, quum ex illa caligine aliqua lucis extrusa semina ingeniis ostendere, e quanto naufragio litterae redirent? An ea, quum illi priores musarum cultores in paginis longo, situ corruptis dies noctesque contriverunt? An ea, quae proxime subsecuta sunt? ut si nobis lateret, quo squalore obducta ante Ludovici Magni tempora, vix Italia, Galliaque exceptis, Europa extiterit; vel si ignoremus Russorum vastissimam regionem Europae, Asiaeque conterminam, omni nunc librorum copia abundantem, nostro ineunte saeculo ne unum quidem habuisse.

At nostra? Occursant ubivis homini, quaeque loca passibus lustranti litterarum incitamenta, digna eruditis, digna viris, digna principibus, digna regibus; Academiae, archigymnasia, licea, ephebia instituta, ditata. Quot impensae, quantaeque iacturae in rem maximi ad omnia momenti factae! Bibliothecae ad quatuor millia, suo quaeque ornatae adparatu, ad speciem magnifico, ad copiam uberrimo, ad sensum iucundo, ad utilitatem maximo; ubi antiquitatis ae-

terni testes alii volutantur, alii ab interitu vindicati visuntur: ubi membranae rarissimae, codices magno redempti, exemplaria undecunque locorum conrasa adservantur. Collucent cymelia, non illa sane superiori saeculo inluvie offusa, sed quae insueta oculis doctos, nedum imperitos percellunt: neque unius modo generis, ut alia in honore sint, alia, uti quondam, exoleta putrescant; sed omnia pari studio exculta, parique fide servata. Certant scientiarum sacraria sacrariis; miracula naturae, miraculis artium; copia cum raritate contendit. Quanta omni genere machinarum instructa suppellex! Quanta antiquitatis! Simulacra deorum hominumque omni genere materiae, et artium insignia, gazae ditisissimae vasorum ex auro, argento, aere factorum, tabulae vividae, picturae Etruscorum, pocula sigillata, toreumata pretiosa, coronae, paterae, scyphi, lucernae, litterati lapides, numismata denique manibus eruditorum jactata, et excussa, quas *filiolas saeculi* appellare non dubito, et quorum in singulis prope notis litteratos tota die intentos defixosque tuemur. Quid quaeso simile vel acta vidit aetas, vel ipsi vidimus, vel futuro tempore posteritas intuebitur?

Sed ubinam, quam hoc loco fidentius exultare mea possit oratio? Postulo a vobis, Auditores, et qui-

dem summo jure postulo, ut universi mihi omnino concedatis, tantam lucem, ad remotissimas usque barbarorum regiones redundantem, ex his terris, quas pedibus calcamus, pene totam effluxisse. Nescio enim quid iis in sinu lateat fossori egerenti inexhaustum, perenne, antiquum: siquidem, eruderato ubivis agro, pretiosa non solum quotidie in apricum efferuntur; sed in ipsis effossae terrae visceribus manent usque vestigia certae spei, litteras locupletiores in dies nova luce futuras. O nostras sedes benigna tellure beatas! ubi, non ligonibus terram aggressis, sed pulsa leviter humo, effodiuntur opes non irritamenta malorum, non ad luxuriem, sed ad dulce otium, non ad animi dolores, sed ad ingenuas voluptates. Vos appello Herculani, vos Pompeiorum exesi pumices, vicini montis quondam latae ruinae, qui tanto post saeculorum ambitu tot Graecarum artium decora, tot Romanorum monumenta incorrupta servastis: vos mihi testes estote, quot eruditissimi viri, quot principes, quot reges ab ultimis terris ad vos advolent visuri, quo loco ipsa Antiquitas suas vestes induta, non ira bellorum laceratas, non incendiis exustas, non temporis voracitate contritas; sed integras, puras, nativa luce fulgentes, venerabili adspectu, Surrentino Gabinoque saxo innixa sedeat. Invidet vobis inclyta Ro-

ma: siquidem exterae gentes illam urbem, antiquitatis quondam nobile domicilium contemplantes, toties irreparabili casu collapsam, toties resurgentem, veterem Romam in ipsa Roma requirunt.

Animadverti equidem, Auditores, animos auresque vestras quodam plausu, rudi licet, atque incomposito arrectas interea detineri, expectantes, quoad ego vobis significarem, quo ista tandem oratio sit evasura: scilicet eo, ut intelligatis, si ceteris ante aetatibus palmam praeripuisse gloriamur, quod nullo latius, quam hoc tempore litterae propagatae sint; necesse quoque fateri, nihil fuisse facilius, quam hoc praesertim tempore eos, qui propagarunt, novitatis cupiditate inlectos alio atque alio divertisse. Nihil enim coniunctius in litteris, quam illa duo, quae cognata desideria dici possunt, alterum edocendi, alterum, quae edocueris, tum ut multorum satietati occurras, tum ut tuo nomini majus aliquid concilies, novitate ornandi. Atque ea caussa est, quamobrem, quum doctissimi viri nostram aetatem in hisce curis peraeque studiosissimam experti sint, in litterarum annalibus hac duplici nota signandam communi suffragio decreverunt.

Quae quum ita sint, non laeta quidem, ut videntur, in praesens sunt omnia. Si enim disciplinae

per cultorum desidiam non exoleverint; ingeniorum tamen quadam libidine nonnihil abnormes factas esse indolescimus. Ecqua enim libido magis importuna litteris potest effingi, quam illa in scientias litterasque invecta styli perversitas; quam dissoluta, ac tumens oratio? Vel quae maior novandi cupido excogitari, quam, inducto in omnes disciplinas delicato quodam sapore, condimenti pleno, quem *spiritum* vocant, nonnullorum opera tenue climata, et in quibus iudicii iusta maturitas elucet, uti inficeta proscribi; iisque solummodo locum dari, quae a communi sensu abhorreant, illaque luxurie diffluant? Sed quandiu hi insidiosi ignes cineri doloso suppositi identidem reviviscant? vel potius, quo usque tandem non extinquantur? Quid? oblitine sumus istam ingenii speciem ementitam, omnique arte fucatam nunquamnon lethale fuisse litteris? vel qui sperari possit a gravissimo posteritatis judicio nos, qui tam severe de Seneca, Lucanoque judicamus, peccantes in idem absolutos esse discessuros? Dicam plane, quod sentio; summo versamur in periculo, ne nos, qui gentes illustrasse gloriamur, posteri accusent corrupisse; saeculique lucis nomine, converso in ludibrium verbo, corruptum depravatumque intelligant.

Sed, quaeso, animum ad alia, fortasse non minora

advertamus, quae in disciplinas sensim illata, eas nonnulla labe macularunt. Etenim si minima intentius accurantur, quam maxima; si incerta incertis addimus; si ferimur in rara sola ingenii ostentatione; si, difficultate omni simulata, per summa ac levia ambulamus; si antiqua magis scrutamur, quam nupera, aliena, quam nostra; si (quod pessimum), bona malis commutamus; quid hoc aliud est in litteris, quam dilabi extraque vagari? Quinimo utrum aspero, an miti; justo, an aequo; inofficioso, an honesto sim usus verbo, per vos iudicate.

Enimvero quid de studio Historiae Naturae dicam? Multa quidem debetur laus, tum quod ejus nobilissimae origines ab ultimis usque aetatibus repetendae; tum maxime, quod brevi eo processerit, ut saeculi scientia quodam jure dici posse videatur. Videmus eius cultores rerum magnitudine non conterritos, sed provocatos, incautos intectosque per latebrosa terrarum vagari: vestigant, odorantur omnia. Sed quid antiquis omnibus Plinio praesertim, atque Æliano adeo iniustum bellum indictum est, ut, quae quae illi scripserint, ficta commentaque credantur? Vel quid tanta investigandi festinatio? praesestim quum tot errores extirpandi, tot veritates firmandae, tot quaestiones definiendae, tot difficultates diluendae

supersint? Quid operi tantum inchoato, ut si absolutum jam foret, fastigium imponere properamus? Si enim est scientiis sua cuique tempestivitas; haec autem, peragratis animo Naturae latifundiis, omnino longaeva est, multorumque saeculorum; *seramus* sane pacato animo, ut ait ille, *seramus arbores, quae alteri saeculo prosint*? Quapropter studium investigandi remittamus, illud vero contemplandi, partiendi, si placet, augeamus.

Quid de Chemia? illa nempe vi Naturae illata, per quam occulta extricantur. Quid tanta sibi cum novandi cupiditate germanitas? quid vocum cudendarum tanta libido? quid illa millies repetita Naturae ingratiis tentamina? Accuret proinde melius suas rationes; phisica foveat; medicinae inserviat; plantarum anatomen ne pro derelicto, desperatoque habeat: vel saltem in ea unice sua studia intendat, quae ab ingenti terrarum marisque sinu solvenda sibi nova offeruntur. Intelligat tandem esse aliquid in Natura extremum, quod vinci non possit, et hujusmodi, ut, si vires experiri velimus, victi inde necessario fractique redeamus?

Quid de scientia plantarum? Equidem dicere ausim nihil ea liberalius coli, nihilque benignius. Haec studia voluptatis plena; haec certissima me-

dicinae subsidia; haec in ipso, ut ita dicam, civitatis ore efflorescunt. Ejus cultores in plantis usque novis detegendis solliciti, in describendis minuti, in caussis nominum reddendis ingeniosi, in depingendis magnifici: cetera egregii. Accusamur in uno, quod multi in minimis sumus, non aeque in maximis; quod, vulgaribus veluti in exilium actis, exotica sola curemus; quod, monente Linnaeo, ut ad vulgares plantas redeamus, tanto post tempore adhuc aberremus; quod, paucarum virtute detecta, ceterae neglectae sunt; quod portenta, quae de nonnullis praedicantur, nondum ad trutinam revocata. Utinam ista efficerentur; quid tum provehendis medicis rebus posset esse optatius, vel mortalitati salubrius, vel posteritati gloriosius relinqui, vel denique iuventuti ea studia molienti majori foret usquam incitamento?

Quid de Mathesi? Extat, Geometrae, de vobis triste oraculum Voltaerii e tripode, more suo dictantis, futurum, ut a sua aetate vix ad centesimum annum ingenia bonis litteris, studioque naturae illecti, geometrica dediscant, peraeque attoniti contemplantes immortalia Euleri, Bernullii, Dalembertii opera, atque exteri Ægyptias moles, reputantes solum animo vires illorum, qui tanta excitarint. Falsum quidem, ut vi-

detis adhuc, et tale per saecula futurum: siquidem tot in ea scientia praeclarissimi viri existant. Nihil tamen verendum magis, si *calculo* a vobis in suppetias vocari solito, plus loci, ut facitis, auctoritatisque concedatis. Mementote, quod Romanis rebus accidisse legimus, quandiu in comparandis exercitibus Romanorum copiae copiis sociorum triplo majores fuere, eas florentes stetisse; quum vero hae illis vel pares fuerint, vel maiores, misere concidisse.

Divinent sane, Medici, vestra oracula incredibili felicitate, quae instant aegro, non in horas, non in dies, non in menses, sed, si superis placet, quoque in annos: ut vultis, fata portendant: appareat vobis lynci simillimis, lectoque adsidentibus aegri corpus pellucidius vitro, ut foris perlegatis, quae intus lue laborent, quibusve in latebris laethale virus insidat: vestra tamen illa *Diagnosis* a vobis quanta requirit, non in pleuritide modo, in *semioticis* desperatissima re, sed in vulgaribus plerisque morbis! Quanta monet pollicem quandoque oscitantem pulsu, suoque tinnitu vena vitalis! Quam cupide *tabulas Rhodias*, vel aliquid iis simile a vestra *Praxi* semper irrequieta, ac plana turbarum Medicina desiderat!

Quis vero est, quem non moveat clarissimis monumentis testata consignataque antiquitas? Inest

ea cura mortalibus a primis inde temporibus: neque, uti humana solent, insenuit annis, sed crevit eundo: donec ad haec tempora deventum est, quibus adversa cupiditate flagramus, incerti, utrum vehementius antiquitate, an novitate rapiamur. Pervestigamus Graeca, Romana, Etrusca, exotica quoque, et longinqua; ubi, quaeque sint, quove parentur pretio in omnem occasionem intenti. Comparantur; adservantur; amantur. Extant nonnulla in privatis aedibus ad spectaculum exterorum: rariora in abditis domorum ad domini delicias: reliqua in propatulo, ante aedes, in impluvium ad ostentationem proiecta. Laudabile otium, bonisque artibus iacturae salubres! vel si quid istud levitatis habere videtur, id homini praesertim diviti, litterisque utcunque instituto facile conceditur.

At iuventuti ea studia ineunti suspecta, atque invisa effici; Graeca devoveri; Latina scholis, uti levia, amandari; in eas denique litteras, quibus haec otia florescunt, cum magna aurium, atque animorum offensione tota die invehi, quandiu perferemus? O pertubatas litterarum rationes! O turpem saeculi lucis notam! Dicam, Auditores, qua voce potero, ut universi audiatis: majores nostros in studiorum rationibus ad normam dirigendis nihil sapientius fecisse: qui, quum viderent Graecos, Romanosque duas nempe florentissimas gentes eo di-

gnitatis hominem evexisse, ut nusquam alias posthac neque bello, neque pace, neque publicis, neque privatis in rebus, neque unius, neque multorum imperio ille devenerit: maxime curarunt, ut iuvenes studia ingressuri ab ipsis gentibus pacis bellique artes, quas imitarentur, primi addiscerent.

Utinam vero in iucundissimo isto genere litterarum per universam late Europam disseminato non abnormia quoque plurima, atque intempestiva occurrerent: nihil sane foret, de quo potiori iure gratulari nobis ipsi videremur. Quid enim tot in res levissimas absumpti labores, in maximas propre nulli? quid in vulgatissimas res effusa ad satietatem, ne dicam, turbata, atque impexa antiquitas? quid probabilitatis tam longe producta spatia? quid illa infinita libellorum cohors? in quibus praeter nonnullas elucubrationes nimia religione attenuatas, reliqua vel ad medias rationes composita, vel ab aliis misere corrasa reperiuntur? Quid denique tot minutissimae curae? ut si illae inexhaustae antiquitatis aurifodinae, quavis India ditiores, quinta abhinc aetate detectae nostrorum eruditorum aviditati defecissent. Dicam uno verbo, Auditores, si minus suo, dignitatique orationis apto, certe ad rem meliori: uberrima sane racematio, gracilis, imo prope nulla vindemia.

Sunt enim magna quidem, Auditores, a quibus una difficultate declinamus. Quid enim tam necessarium, quam opus numeris omnibus absolutum, quo edoceamur, quibus notis monumenta, quaequae ea sint, vera a commentitiis dignoscantur? Quid tam litteris opportunum, quam illa multa, quae ad scientias pertinent, pro ipsarum numero in ordines partiri? Dirimeretur sane illud dissidium, quod inter scientias litterasque interesse vulgo existimatur, si quidem musae amoeniores cum severioribus consociatae conspicerentur. Gratiae immortales habeantur Viscontio, in quem videntur ea studia ad quandam sui maturitatem pervenisse: at multo maiores illi debeamus, quod nonnulla integra, quaedam adumbrata, tanquam de composito nobis absolvenda reliquerit. Habeantur Caylo, et Winchelmannio numinibus bonarum artium praesentissimis, qui de veterum statuis contemplandis designandisque unice solliciti, nobis, quod maximum erat, reservarunt, qua nempe ratione divini illi artifices Naturam genio suo sequacem, prope famulantem, atque in suis manibus dura quasi pro arbitrio emollientem habuerint. Et ut plura colligamus in unum, illud antiquitatis indagatori investigandum in primis foret, quibus illi artibus ad liberalia studia tam brevi, tantaque

felicitate devenerint, ad quae nos tot annis, tot exemplis, tot magisteriis, tot concertationibus, tot doctrinis, tot praemiis, morosa denique illa pingendi, celandique subtilitate devenire posse desperamus.

Pulcherrima sunt quidem ista, Auditores, et jure vetustatis carissima: sed una cautio sit, ne intemperata eorum dilectio ex animo obliteret ea, quae, quum nostra sint, potiori jure postulant, ut prima diligantur. Enimvero ecquis non fatetur inconsiderata temeritate transversos nos agi, quoties nulla neque huius, neque futurae aetatis cura solliciti in eam ipsam barbariem nostra immergi sinimus, e cuius faucibus res tempore, ac loco remotissimas, nullique nobis, vel parvo usui futuras, restitutas esse gloriamur? Vel quis non indoleat, dum de compingendis litteris Etruscis, Ægyptiis, Tibetanis coniectnrae proponuntur, litterae afferuntur, itinera etiam magno impendio suscipiuntur; de nostro interea sermone sui natura suavissimo, diu tamen squalore obsito, nihil adhuc esse absolutum, nihil susceptum, nihil ne excogitatum quidem?

Ægidi Menagi, si illae tuae Itali sermonis *Origines*, quanti sunt, tanti non essent; temeritatis profecto accusari dignus videreris, quod tuae gentis oblitus, falce in Italas segetes foede immissa, arva

nostra vastaveris. Nunc quoniam illae cum immortalitate contendunt; ignosce, si a praedicatione laudum tuarum ad meae gentis litteratos viros oratio devertat. Itali, itane per praerupta usque, atque incerta studiorum litterae nostrae abibunt? Qno tandem usque exterae gentes Italiam artium altricem conviciis iucesserint? Quo usque tandem piissimam parentem ea aetate Graeciam alteram hoc turpe opprobrium pati sinamus? Viresne desunt; ingeniane torpent; an quid hoc aliud mali est? Desinat ergo tandem Gallia superbos agere de Itala levitate triumphos, et, quod ille operis bonis auspiciis inchoavit, bonaque ex parte confecit, nos bona ex parte confectum melioribus absolvamus: adeo nimirum, ut, si minus illi praéstemus ingenio, curemus certe, ut postrema primis, nostra aequentur suis.

Vitia aluntur, ac tegendo vivunt, si medicas manus adhibere abnegamus. Efficacissima ad id remedia a summis viris proponuntur. Primum illud Platonis: temperanda infinita animi cupiditas. Salutare consilium, sed incurabile malum. Alterum Malebranchii: moderanda est legendi cupiditas, contemplandi vero augenda; per illam enim perpetuantur errores. Est sane multum, sed non in eo sunt omnia. Tertium Maupertuisii: adsit censura, quae scripta ca-

stiget. Praeclare quidem ; sed difficilis censura vivorum. Ceterum utinam ista vel parce adhiberentur : neque ad insaniam ingenia aestuarent, neque adolescentes nimiae lectionis protervitate valerent , neque miseri versaremur in tanta impunitate librorum. At jura quidlibet in litteris audendi concessa sunt. Concessa quidem , sed non ut iis deutare ; ad cohonestandam rempublicam , a qua illa accepisti , non ad foedandam.

Scio meam nullam esse in eo auctoritatem, atque, ut ab initio meae orationis praemonuisse memini, nihil hujusmodi auderem. Revocamur itaque, Auditores, a medio rectoque cursu declinantes non mea privati hominis voce , neque hodierna tantum die , sed ducentos prope annos continenti voce, atque a singulari legum in nostra republica latore, de litteris, deque Humana Ratione benemerentissimo Bacone de Verulamio. Is enim tanquam ex praescripto constituit collegium amplissimorum, omnique genere doctrinae excellentium , qui foedere coniuncti universas disciplinas recenserent, seque inter provincias partiti eo coirent, ut earum unaquaequae , unde orta sit , qua ierit , quoque gradu consistat , edoceret, et lineamenta quaedam , per quae ingenia ad nova currerent , praemonstraret. O disciplinam tanto homine dignam ! Etenim,

florentissimi Adolescentes, si ad innumeras opportunitates fortunae vestrae indices, si ad istam animi indolem, atque ad ingenia, quibus polletis, si ad studiorum rationes rite institutas, si ad vigilantissimos moderatores vestris commodis velificantes, si ad antecessores probitate, et scientia praecipuos, si ad uberrimas doctrinae segetes vobis abunde suppeditatas, si ad summorum virorum exempla ad imitandum proposita, si ad egregiam, in qua vivitis, urbem omni copiarum genere diffluentem, si denique ad spem novi saeculi, in quam vos primi succrescitis, ea norma accederet, qua quisque in omnibus disciplinis, qua progredi, quove niti debeat, et quo, ultra si velit, sui ingenii vires protendat, uno veluti obtutu intueretur: quid tum liberalius vobiscum agi potuisset, vel litteris opportunius, vel nostrae aetati gloriosius, vel denique desiderio immortalitatis magnificentius effingi?

Laetum omnem insidet animo futurum aliquando, et, si quid veri mens augurat, futurum brevi, ut Academiae, illi sanctissimi coetus, illae Musarum statae mansiones, illa litterarum diversoria aeterno foedere obligatae tantum operis sint moliturae. Quod si iam animo amplecti videor illud, quod miserando litterarum fato desperari oportere universi fatentur, sini-

te, Auditores, aegro animo, suique vix compoti vicina videat ea, quae longo distare intervallo omnes intelligunt; illudque conclamatum vulnus nostrae reipublicae jandiu inflictum, aliqua curatione leniri posse confidat. Videre enim iam videor litteratae Europae, quot, ubique sint, egregios viros hoc uno in loco conlectos, Italiae florem, Gallorum prima robora, è Britannis, Germanis, Polonis, Borussis, Danis, praecellentissimos; eosque, perinde quasi ad id operis adhortandi mihi facultas data esset, ita affari. Quandiu, rogo vos, viri clarissimi, sinatis lascivire litteras? quem ad finem exaudiantur in iis querelae, dimicationes, discidia? vel quid istud reipublicae genus est, ut iura ab illa habeamus, de conspiratione vero virium animorumque leges nullas habeamus? Si ad ardua vestra ingenia differre velitis: quid tam arduum; quam opus ea immensitate, ut vestra ope indigeat, suaque mole laboret? Si ad maiorem gloriam? Ecqua maior, quam illud conficere, quod impensissima prece omnes adprecantur; quod litterae longo desiderio confectae expectant; quod ipsa humana ratio postulat; quod praeteritorum temporum depravata emendat, nutantem huiusce saeculi gloriam confirmat, denique posteritati consulendo transitum vobis ad immortalitatem brevissimum pa-

rat ? Videte per Deum, utro tandem modo satius sit, collatis viribus, ire paratiores ad singularem, gloriaeque plenum laborem, an, ut in dies facimus, ad leve aucupium laudis ad vesperum interiturae? Deleantur itaque vestigia abnormitatis: disciplinae in viam revocentur: litterae tam firmo praesidio obvallatae de suo periculo conticescant. Ne patiamini Baconis manes de fato litterarum diu irrequietos in vestibulis academiarum, inter ipsa subsellia, in quibus quota die de litteris deliberaturi sedetis; quinimo in secessibus illis domorum, ubi pervigili calamo exaratis nova, versantes de tanta temeritate nos exprobrare. Conquiescant tandem illi, suique a vobis compotes factos sua quadam quasi voce declarent. Fortunet Deus immortalis consilia nostra; tantum operis saeculo largiatur; foedera ista componat. Intelligant aliquando hi viri, universis litterarum rationibus longa aberratione perversis, hac una vero suorum opera reparatis, atque compositis, non hanc modo aetatem, sed eos ipsos, qui illam nobilitarunt, in mundi fastis consecuturos nomen novum.